

Jovē, Neptuno et Mērcurio terram peragrantibus factum est hospitio
alio deficiente, eos intrare Herei senis pauperis gurgustiolum, qui
cum eos cognovisset deos, obtulit eis bovem in sacrificium co-
quens, qua oblatione motus Jupiter dixit ei, ut peteret quod op-
taret, qui dixit, se non habere conjugem et praemortuae promi-
ssisse se aliam non sumturum, optare tamen filium. Jupiter autem
cum reliquis duobis diis bovis occisi sumserunt carnem, et cum
in eo minxissent, jussérunt seni, ut decem mensibus carnem terra
tectam manere permitteret et filium inde nasciturum exspectaret.
Qui cum fecisset, mense decimo prosiliit puer, qui Orion appellatus
est, et adeo vir robustus est factus, ut nullum timeret animal
omnesque bestias cum suo cane venaretur. Cui indignata Diana
venatrix misit contra eum scorpionem, qui eum interfecit. Dii
autem pro scorpionis audacia ipsum in signum coeleste sublimaver-
runt, quod scorpionis dicitur. Demum miserti Orionis ipsum et
canem suum in coelum assumserunt et Orionem et canem signa
coelestia constituerunt etc. Haec dicta, licet fabulosa apparent,
sunt tamen naturae cursu verissima, ut ostendit Johannes Boccar-
dus de Generatione deorum gentilium, Libr. 12. Cap. 12.

Ultima dicta maritimae peregrinationis.

Octava incipiendo diem a vespera praecedenti propter con-
tinuationem insonuerunt navium servi tubis per civitatem vocantes
nos ad ingressum navis, et soluta classe tenui vento extra portum
elati sumus, de quo naucleri plurimum gaudebant; nam quando
sunt venti importuni, etiamsi sint pro navibus et pupales, non
audent eis committere naves per hoc maris spatium usque Vene-
tias, quod nominant Venetiolam: periculosissima est etiam navi-
gatio, et naves in intempestatibus bithalassum incurrrunt, quia fun-
dum inaequalem habet, nec profundum ulterius est, et ideo magis
arte, cautela et industria indiget navigatio Venetiolae, per quam
singulares et jurati habentur gubernatores, qui Parentiae morantur,
et sine eorum nutu nulla galea Venetiolam ingreditur, sed praefati
navium gubernationem assumunt, et alii, qui per totum mare
gubernaverunt, non se intromittunt nec judicant. Contingit saepe,
quod naves magnae in mense vel amplius non possunt de portu
Parentino descendere propter ventorum vel maris defectum, et